

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Illvstrivm Virorum Epistolae, Hebraicae, Graecae et Latinae, Ad Ioannem Reuchlin Phorcensem virum nostra aetate doctissimum diuersis temporibus missae**

**Reuchlin, Johannes**

**Hagenoae, 1519**

Ioannes Nauclerus, uulgo nominatus Vergenhans doctor, praepositus in  
Tubingen S. D. P.

[urn:nbn:de:bsz:31-270838](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-270838)

E P I S. I L L V S T. V I R O R V M A D

donaret, ut uel eos qui ex ordinatione iam pridem facta ad hoc deputati sunt, regimini patriæ præponeret, uel alios dū tamen honestos uiros deligeret de consilio statuū. Credo enim neminem ex his qui boni sunt ad hoc officiū nisi magno amore patriæ persuasum ambire. Quod si leues personas ut quondā ad hoc admiseris. De patria & salute reipub. nostræ actum atq; conclamatum est. Habes cōsiliū iners atq; turbatū, ita ut est animus meus. Sed tu pro humanitate tua crede id bono anio effluxisse. Si enī utiliora p̄uidere contingat, tibi communicabo. Tu uale. Ex Francordia die Lunæ post dominicam Reminiscere. Anno salutis. M. cccc. lxxxvi.

Ioannes Nauclerus, uulgo nominatus Vergenhans

Doctor, præpositus in Tubingen S.D.P.

Ioanni Reuchlin Phorcensi.

**S**uales, est quod uolo, ego nauigo. Tempora solis literis fallo. Tu uero fœlix mihi uideris infortunio, nō enī facile est iuxta uiperam securū somnū agere, uno tamen solor me q̄ fortuna nil accipere potest quod nō dedit, & rursū illud cum fœnore nō nunquam restituit. Interim uela uentis committenda sunt, & quod fors fert feramus æquo animo, forsitan aliquando meminisse iuuabit. Speroq; fore ut tibi gratias referam pro acceptis muneribus. Historia uidelicet Francorum Gaguini quam ad fatietatem legi atq; relegi, & pridem honorandæ conthorali tuæ eam remisi, nec despero te mihi alia quoq; corradere adniti. Optarem etiā abs te habere illud Luciani, ubi Herculem aurea catena ligatum scribit. Vale mei memor, & aliquid mihi rescribe. Ex Tubingen. xxii. Martii. Anno M. CCCC. lxxxviii.

Ioannes Nauclerus Doctor præpositus in Tubingen, ad Ioannem Reuchlin Phorcensem.

**A**go gratias immortales, & te saluere plurimū opto, q̄ ut amico obsequaris, tāti principis arcana scrutari, & ex his quæ illi chara uident̄ poscere & mittere curauisti, hæc in me beneficia tua nulla unq̄ delebit obliuio. Ne aut̄ suspensam principis beneficentiā diutius teneas, librū quem tuis sudoribus misisti in præsentiarum restituo. Et pro refusione laborum priorum hanc gratiam facio, ut tuis impensis illum reddere cogaris & te liberare. Opto aut̄ mihi dari ut uices aliquando cōpensare possim. Interim a me omnia